

FRANCISCI PATRICII  
PANAUGIAE  
LIBER SEXTUS  
*DE AEREO LUMINE.*


Hactenus de luce equidem coelesti, siderum et Solis, sed quæ proles suas in terram, in aquam, et terrenum aerem mittit, est satis disputatum. Ostensumque a nobis quo modo, mundus hic inferior, quem nos homines et bruta inhabitant, totus intus et extra iaceat in lumine.

Nunc altius ascendendum, et ad luminum patrem per suos gradus accedendum.

Quo tota hæc nostra præsens tendit speculatio, atque investigatio. Igitur, cum supra terrenum hunc aerem, qui regione nubium terminatur, immensus alius sit aer, qui supra nubes ad Lunam usque extenditur, quid de eo dicendum? Totum ne esse, et semper luminosum, an et ipsum, umbris, tenebrisve, aliquando aut perpetuo teneri? Sane, si ibi corpus aliquod opacum, vel terra, vel terreum, vel densata nubes inhabitet, etiam umbræ, etiam obscuratio, etiam tenebra poterit ibi aliquando inhabitare. Sed nulla in eo, vel umbra, vel obscuritas, vel tenebra ibi conspicitur, aut conspecta est unquam. Quia nimirum nihil ibi est, quod eam procreare possit, et si quæ creatur umquam, aliunde eam vel ascendere eo, vel descendere est necesse. Ascendit autem a terra; descendit vero a Luna; illa quotidie; hæc rarissime illa noctibus singulis; hæc in Solis tantum Eclipsibus. Utraque Pyramidali et conica figura. Sol enim et terra, et luna maior est, sed lunaris et angustior, et brevior. Terrena vero, et latior, et longior. Terra enim maior luna est, atque ideo ad basim hemispherii nostri, latam efficiet umbram, quæ continuo decrescens latitudine; longitudine, manifesto corpus lunæ superat, quando totam in sua eclipsi occultat. Et ad Mercurii, aut etiam Veneris apice summo pertingit cælos.

Superstante vero Sole Lunam ad perpendicularum, Lunæ corpus opacum umbram suam versus terram proiicit, pyramidalem seu conicam, quæ non totam terræ superficiem ambit, aut eius corpus amplectitur, quia terram maior est quam Luna. Partem tamen eius operit, quæ Solis aspectum iis, qui in ea sunt, solet auferre. Iis vero qui in ea non sunt, auferre nequit: et quæ nisi in terra finiretur, in conum ultra terram ipsa quoque desineret. Sed hæc eclipsis obscuratio, tam accidit raro, et tam brevibus horis durat, ut ad aerem illum superiorem totum illuminatum, nullius fere sit momenti; et si sit alicuius, eiusdem sit rationis, cuius et illa maior umbra terræ, singulis noctibus, nigrore tingens aerem, ostensa est esse de genere visilium, et luminis speciem quandam minimam, quæ visui, et lucibus stellarum igniumque det transitum. Sed cur lumini solari transitum non dat, noctibus, ita ut extra terræ umbram lumen quod in immensum aerem implet, minime cernatur? Cernantur tamen in eadem umbra, et accensi ignes, et stellarum luces. Res sane miraculo proxima, et quæ consideratione magna non sit indigna, quam nemo, quos legerimus scriptorum, aut vidit, aut attigit. Ut autem plenius quod dubitamus intelligatur, oculis figuram hanc subiiciamus.

**Aer illuminatus .**



**Aer illuminatus .**